



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

Caput I. Quid sit oratio mentalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)



INTRODUCTIO AD MEDITANDUM.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Oratio mentalis?



ORATIO mentalis est exercitatio Quid sit
internarum animæ rationalis po-
tentiarum, nempe memoriæ, in-
tellectûs, & voluntatis, circa

Deum, & mysteria potissimum fidei, cum
collocutione interna & familiari ad Deum.
Unde quatuor habet partes.

Prima est exercitatio memoriæ, quâ Dei Partes
præsentia adducitur ante oculos, & mysterium Medit.
illud, circa quod meditandum est, per puncta 1.
distinctum memoratur, & intellectui proponi-
tur, cum fide viva, ac ferventi ipsius mysterij:
sine qua languebit meditatio, nec intelligitur, Isa. 7. 9.
quod frigide creditur, juxta illud: *Nisi credide-
ritis, non intelligetis.*

Secunda est ratiocinatio intellectûs circa 2.
propositam materiam: tum, ut eam intimè
percipiat; tum, ut eliciat documenta virtu-
tum, quæ voluntati amplectenda proponat.

Tertia est concitatio voluntatis, ut res fert 3.

A con-

considerata, eliciendo varios actus & effectus vel erga Deum, amoris, fiducia, gratitudinis, vel erga seipsum, odij, compunctionis, desiderij meliorum, & similes: qui est finis meditationis.

4. Quarta est petitio eorū, quæ meditando intelleximus nobis expedire, cum fiduciali colloquio, vel ad unam speciatim ex divinis personis, pro re nata, & affectu: vel universè ad omnes. In petendo autē proferemus rationes, cur exaudiendi simus, quæ potissimum sunt tres.

1. *Ratio.* 1. Ex parte Dei, quia bonus, quia ipse amat nos, quia vult à se peti, quia sic glorificabitur; & tandem per singulas ipsius perfectiones nominatim expressas, potest fieri obsecratio. 2. Ex parte Christi, obtrendendo illius merita universè: tum sigillatim singula ejus mysteria, & actiones, passionésque: Denique per ipsius virtutes, quibus placuit Patri, eundem Patrem obsecrando. Modo ipsum Filium rogando per amorem, quo nos amplexus est; per officiū, quod gerit Mediatoris, per magnitudinem pretij, quo nos redemit. Et ipsum quoque Spiritum sanctum compellendo, pro eo amore, quo Christum prosequitur, ejusque merita: in quem sine mensura effusus est. 3. Ex parte nostra, prætenfa necessitate & miseria maxima. In iniquitatibus concepti sumus, intus urgemur à concupiscentijs, foris impedimur à dæmonibus, & à mundi illecebris provocamur, persequitur diabolus in nobis imaginem Dei, ut vel eo nomine debeat nos Deus ab injuria vindicare. Licebit hîc particu-

lares

lares necessitates, ac proprias sigillatim commemorare, ad divinam misericordiam magis promovendam. Aliquando etiam viri perfecti obtendere possunt obsequia, ut Ezechias: *Memorato Domine, quod ambulaverim coram te in veritate.* Et Christus ipse: *Ego te clarificavi super terram, & nunc clarifica me tu Pater.*

R. Reg.

20. 3.

Ioan. 17.

4.

Atque modus iste orandi traditur ab Apostolo: *In omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.*

Philip.

4. 6.

Nec istae obsecrationes tam adhibentur ad persuadendum Deo, qui urget ipse, & praecipit, ut petamus; quam ad excitandum in nobis fervorem devotionis, & impetrandi fiduciam, quo mereamur exaudiri. Consentit praedictis illa Augustini sententia: *Meditatio parit scientiam, scientia compunctionem; compunctio devotionem, devotio vero perficit orationem.* Etenim per meditationem homo in Dei, & sui ipsius cognitionem venit. Hinc compungitur, & erubescit de propria vilitate, compunctus, in Dei misericordia & bonitate conquiescit dulciter. Huc pro- vectus, miscet colloquia cum Deo; necessitates exponens suas, fidenterque postulans auxilium opportunum.

Lib. de

spir. &

Ani. 6.

70.

CAPUT II.

De modo Colloquiorum.

IN colloquiis potissimum consistit oratio, Finis quorum finis est duplex: alter confessio laudis divinae, alter imploratio gratiae. Ad priorem qui duplex.